



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Ecclesiae Mechliniensis, Anni M. DCC. XVIII. Circa  
Bullam Unigenitus**

**Archidiocèse <Malines>**

**Bruxellis, [1719]**

Exemplar Epistolæ Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini  
Archiepiscopi Mechliniensis ad Illustrissimos ac Reverendissimos Dominos  
Episcopos Belgii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40699**


## EXEMPLAR EPISTOLÆ

*Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis ad Illustrissimos ac Reverendissimos Dominos Episcopos Belgii.*

**E**A, quam diù vidi, & ingemui ex scandalosa paucorum in Gallia Episcoporum Appellatione ad Concilium Generale, animarum perniciem in hac mea Diœcesi imminere, me pridem impulit, ut prò munere meo vel minimum tanti mali periculum ab ovibus curæ meæ concreditis averterem. Atque ideò scripsi sæpius, urfi, institi apud Sanctissimum Dominum, ut Galliarum dissensionibus finem imponeret, quod Sua Sanctitas prò sua clementia se præstituram addixit. Moræ tamen impatiens, instrumentorum illorum appellationis apud Catholicos inauditæ, ad fallendum compositorum fucos, & fraudes opere publicando detegere, & refutare aggressus sum, quam refutationem edere distuli, usque dum Summus Pontifex, quid de Refractoriorum illorum contumacia judicaret, prò sua auctoritate edixisset: quod ubi Romæ actum, ad aures meas pervenit, ulteriùs tacere mihi tutum non esse, conscientia mea dictavit. Ideòque, dum illud refutationis opus adhuc limari, & sub prælo sudare debet, Epistolam Pastoralem publicavi, quam in Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ manus hisce acclusam consigno. Prò rei gravitate Capitulares meos consulendos esse duxi, qui eodem, quo Bullam *Unigenitus*, Sede vacante, admiserunt zelo, Epistolæ meæ Pastoralis subscripserunt. Illustrissima, ac Reverendissima Dominatio Vestra

A Con-

Constitutionem illam *Unigenitus* non tantum admittit, sed & legitime publicavit; porro nullus dubito, quin cum summo in Terris Christi Vicario, & cum omnibus Orbis Catholici Episcopis (paucis in Gallia exceptis) pro sua auctoritate, & zelo, quo fertur pro conservanda Fidei integritate, ora loquentium iniqua obstruere velit, & perenni cultu subscribor. Mechliniæ 2. Novembris 1718. Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ. Humillimus, ac devinctissimus Famulus. *Erat signatum.* THOMAS Archiepiscopus Mechliniensis.



## EXEMPLAR RESPONSI

*Illustrissimi ac Reverendissimi Domini  
Episcopi Gandavensis.*

*Illustrissime Domine*

Magno cum gaudio accepimus Literas, quas Excellentia Vestra transmittere Nobis dignata est cum adjuncta Epistola sua Pastoralis, quam & Nos libentissimo animo suscepimus, eique toto corde adhæremus: Laudandus summoperè est generosus zelus Excellentie Vestræ, pro cognoscendis, & extirpandis zizaniis jam nimis inficientibus Belgium; magnus indè sperandus est fructus, pro quo obtinendo nihil Nos omitemus, atque optamus, ut hoc omnes intelligant. In illum finem non cessabimus rogare D. O. M., ut Excellentiam Vestram diu servet incolumem, dum omni submissione subscribimur. Bruxellis 18. Novembris 1718. Illustrissime Domine, Excellentie Vestræ, Humillimus, & obsequentissimus Famulus. *Erat signatum.* P. E. Episcopus Gandavensis.